DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE CAVSSIS
PHYSCONIAE

QVAM

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE LITERARIA FRANCOFVRTENSI

CONSENSV ATQVE AVCTORITATE

PRO

DOCTORIS MEDICI HONORIBVS

LEGITIME CONSEQVENDIS

A. D. XXIV NOVEMBRIS CIƆIƆCCXCIV. 1794

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTET

AVCTOR

IOANNES HOFFMANN

CVLMA - BORVSSO OCCIDENTALIS.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

45

Lane Medical Library

VIRO

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

DOMINO

IOANNI CAROLO

S. R. I. COMITI

DE HOHENZOLLERN

S. R. A. E. EPISCOPO CVLMENSI ABBATI MONAST. ORD. CISTERC. OLIVENS. ET PEPLINENS. AVGVSTISSIMI BORVSSORVM REGIS AQVILAE NIGRAE ET RVBRAE ORDINVM EQVITI ETC.

DOMINO

SVO INDVLGENTISSIMO

SVMMAM REVERENTIAM ET PIETATEM TESTIFICATVRVS

IPSIVSQVE GRATIAM

HONESTISSIMO AVSV AVCVPATVRVS

HVNC ACADEMICVM LIBELLVM

DEVOTISSIMA MENTE

D. D. D.

IOANNES HOFFMANN.

PROOEMIVM.

Haud minimi certe momenti, nondum tamen ſatis elaborata eſt ea pathologiae pars, quae nobis doctrinam de cauſſis morborum exhibet. Nec enim medico ſufficiat, cauſſas morborum ſimplicium, pathologiae generalis ſtudio ediſci ſolitas, tantummodo pernouiſſe; ſciat quoque, quomodo hi morbi ſimplices ipſi, cum plures inter ſe coniungantur, rurſus in cauſſas nouorum morborum ac quidem compoſitorum, quos therapiae ſpecialis auxilio cognoſcimus, abeant. Porro diſcat cauſſas quae in ſinguli cuiusque generis morborum productionem conſpirent; ac denique non ignoret, quae inſuper hiſce aduenire debeant ad morbum quendam ſpecialem conſtituendum. Hoc modo affectionis cuiuscunque ei obuiam factae naturam, aegroti relationem antea a ſe commiſſorum cum ſymptomatibus morbi praeſentibus

con-

conferendo, facillime eruet, ipſumque morbum remediis idoneis ei oppoſitis fugabit. Haec cum animo mecum peragerem, mihi pro ſummis in medica arte honoribus ſcripturo de cauſſis Phyſconiae, generis morborum induſtria recentiorum noſologorum rectius demum expoſiti dicere in mentem venit. Aperte vero fateor, me forſan laborem virium mearum tenuitate ſuperiorem ſuſcepiſſe, quum ſaepe vnius alteriusue ſpeciei cauſſae ita ſint abſconditae, vt nonniſi ſumma iudicii acritate ac ſubtilitate detegi poſſint, quarum igitur expiſcationi fruſtra ego incumberem. Neque propterea quisquam lectorum eruditorum exſpectet, me opus omnibus numeris abſolutum editurum eſſe; arcti enim diſſertationis limites iam omnia, quae dici poſſent, proferre vetabunt. Quae ſecum cenſuram exerciturus perpendat ac coeptum meum aequi modo bonique conſulat velim.

DE

DE CAVSSIS PHYSCONIAE.

§. I.

Definitio morbi.

Quanquam recentiorum nosologiae systematum conditores, clarissimi viri Rud. Avg. Vogel, Savvages, Sagar et Cvlleniam in hac se operam suam collocarunt nostrumque morbum multis illustrarunt; tantum tamen abest, vt eum plane ab aliis distinguerent, vt potius definitiones eorum aut tympaniae, aut herniae cuiusdam, aut denique grauiditatis suspicionem simul inducerent.

Distinctius his ac certe exactissime, si ego quidquam video, praeceptor meus carissimus pieque mihi semper deuenerandus, vir omni eruditionis genere eximius, cel. Berends in praelectionibus suis nosologicis physconiam explicuit, quum eam definiret:

„Tumo-

„Tumorem abdominis raro vniuerſalem, ple-
„rumque partialem, nec ſonorum nec flu-
„ctuantem, paulatim increſcentem, a partium
„ſolidarum intumeſcentia, a grauiditate et
„herniis diſtinctum.

Haecce praemittere, priusquam cauſſas ipſas diſpicerem, neceſſe duxi, quoniam morbi cuiusdam definitio, ſi alias recte in eum quadrat, plerumque etiam quadantenus cauſſam eius proximam innuit.

§. II.

Totius generis ſpecies et varietates.

In his colligendis ac ordinandis cel Cvllen omne ſtudium atque ingenium contulit, quo etiam duce eas enumerabo. Sunt vero ſequentes:

a) Phyſconia hepatica. Haec comprehendit:
  α) ſcirrhodeam,
  β) calculoſam,
  γ) hydatidoſam.

b) Phyſconia ſplenica, cui ſunt ſubordinatae:
  α) emphractica,
  β) ſcirrhodea.

c) Phyſconia renalis, quae eſt aut
  α) calculoſa aut
  β) ſarcomatica.

d) Phy-

d) Physconia vterina.

e) Physconia ouarii.

f) Physconia mesenterii complectitur:

α) hydatidosam,
β) strumosam,
γ) scirrhosam,
δ) sarcomaticam,
ε) steatomatosam.

g) Physconia intestinalis est vel

α) concreto-glomerata MORGAGNI vel
β) sarcomatica.

h) Physconia omentalis.

i) Physconia visceralis, Μεγαλοσπλαγχνος HIPPOCRATIS.

l) Physconia externa, quae iterum diuidi potest in

α) lupialem,
β) scirrhosam,
γ) hydatidosam et
δ) adiposam.

Iam autem, secundum hunc ordinem propositum, monstrare conabor, quae singulae cuique speciei originem praebere possint. Haud parum tamen iuvabit, anteaquam id ipsum incipiam, quaedam meminisse

§. III.

De cauffis phyfconiae in genere.

Liquet igitur ex modo recenfitis, quod femper fere intumefcentia vifceris alicuius abdominalis hunc morbum excitet, quae fummo etiam iure pro cauffa eius proxima continenti haberi poteft. Variae haec iterum eft indolis atque materiae, namque vel fola vifceris infarctio eiusue fcirrhus, vel concrementa calculofa, vel tumor in eo cyfticus, vel farcoma, vel denique hydatides ipfam conftituunt. Quorum nafcendi diuerfos modos ac cauffas nunc figillatim breuiter peragam, quo tanto minori ambage in enarratione cauffarum fpeciali mihi vtendum fit.

Vifcerum abdominalium emphraxes confiftunt in impedito fanguinis tranfitu per vafa eorum minora, horumque ideo obturatione. Alii putant, id vltimis arteriolarum finibus folummodo accidere poffe, quum progrediendo femper magis magisque, quoad diametrum fuum, decrefcant maiusque etiam fanguini perfluenti obftaculum opponant; venularum autem principia iam eo huiusmodi obferationi obnoxia nequaquam effe, quod ab initio ftatim oftia eorum paulatim dilatentur, valdeque inde perfluxus fubleuetur. Rectius tamen alii accuratiori naturae infpectione melius edocti monuerunt, venulas minimas neutiquam ratione coni inuerfi protinus fieri ampliores, fed potius cylindri aliquamdiu formam

reti-

retinere, quocirca etiam haud improbabili argumento collegerunt, haec esse praeprimis loca, quae obstructioni cuiuis pateant; cum adhuc accedat, quod propria vi contenta vlterius mouendi sint destituta. Viscera illa peritonaei cauo inclusa ac vulgo chylopoetica dicta hoc malo creberrime affici, non est, quod quisquam miretur, si secum perpendat, omnium eorum vasa ad systema venae portarum construendum coire. Hoc autem systema ita est situm, vt omni fere alieno impulsu, quo sanguinem protrudere possit, careat, nisi quem paene inualidum atque vix sufficientem inter respirandum a diaphragmatis descensu et musculorum abdominalium constrictione, quemque ab arteriarum vicinarum pulsu accipiat. Hinc sequitur, vt sanguinis in eo fluentum tantum lentiori motu procedat, ideoque hic humor eiusmodi retardatione valide addensetur spissiorque reddatur. At noua etiam mora sanguinis circuitui in his vasis inde proficiscitur, quod nullis, in modum aliarum venarum, instructa sunt valuulis, quippe quae, si adsunt, proprium venis laborem perquam leuant, cum sanguinis in subsequentes vndas relabentis pondus suffulciant, vasisque inde calcar adiiciant, se propria sua vi, quae iis certe aliqua est, contrahendi, ac sanguinem celerius faciliusque promouendi. Praeterea vero et vterus non semper hoc vitio intactus manet, cum propter arteriarum amplitudinem ac laxitatem latices eo aduecti tardius

 pro-

progrediantur et caussa aliqua insuper accedente perfacile in venis vllis aliis corporis humani firmioribus, arteriisque multo angustioribus prorsus retineantur et stagnent; quod quidem tanto citius euenire potest, quia hae venae, aeque ac ramuli venae portarum, valuulis, exceptis paucis spermaticarum, destituuntur. Haec omnia tamen inter seminia morborum naturalia solummodo sunt referenda, nec obstructionem progignere valent, nisi alia quaedam caussae iis superueniant, quarum multifaria est ratio. Namque vel sanguinem iamiam, quod satis est, crassum densumque magis adhuc inspissant atque concrescere faciunt, ita, vt vasa minora haud amplius permeare queat; vel tantam eiusdem copiam in loca narrata congerunt, quantam propellere vasa non valent; vel vasa ipsa debilitant omnemque tonum iis adimunt, quae igitur sanguini irruenti debita vi resistere nequeunt, eique potius succumbunt, vnde nunc quoque stagnationibus dant locum; vel denique parietibus vasorum stimulum iniiciunt, quo fit, vt sese haec crebrius atque diutius contrahant, sanguinem exitu intercludant et arceant, qui nunc ob moram in partes suas resolutus tenuior abit et crassamento relicto vasa obturat. Condensant sanguinem cibi praeprimis nimiam glutinis mucilaginisue copiam ei inducentes, quorsum pertinent carnes animalium seniorum, caseosa, vegetabilia multam terram secum vehentia, cuiusmodi sunt legumina, farinacea

rinacea omnia; nec minus pinguia copiose ingesta, fructus austeri nimie commesti, abusus spirituosorum, quae nempe gluten ex sanguine praecipitant; potuum haud sufficiens ingestio; omissio necessarii corporis exercitii ac sedentaria vita, praesertim situs corporis pronus hominum literatorum multorumque opificum; frigus externum, si corpus ei iusto diutius exponitur; magnae serosorum humorum excretiones per cutim, aluum, nimia seminis eiaculatio, quae simul totum corpus debilitant atque vasorum tonum imminuunt. Partium emphraxi obnoxiarum plethoram faciunt omnia, quae vniuerso corpori eundem statum inferunt, victus igitur opiparus, lautus vitae socordi somnoque largo iunctus; euacuationum solitarum vel sanguinearum, vel serosarum retentio, imprimis vero menstruorum suppressio huc spectat; porro omnia quae aliquatenus haec vasa vellicant, ac leni suo stimulo sanguinem versus ea alliciunt, quemadmodum agunt aromata aliaque acria alimenta crebro assumta, acrimoniae animales retropulsae inque his partibus pedem figentes, e. c. scabiosa, serpiginosa; omnia denique quae exteriorum sedium vasa aliquo modo comprimunt, coarctant, occludunt, sicuti vestes nimis arctae, pedum refrigeratio aliaque. Debilitatem his vasis inducunt eaque tono suo depriuant, quae totum corpus, potissimum vero quae tubum alimentarium labefactant, potulentorum igitur calidorum, theae, coffeae frequentior

quentior vſus, ciborum tenuium, vilium, neque, quod ſatis eſt, materie alibili praeditorum deuoratio, ieiunium, hypercatharſes aliique morbi, febres quaecunque, praeprimis intermittentes tempore opportuno roborantium ope non ſuppreſſae, variae haemorrhagiae atque profluuia debito vehementiora, pathemata animi ethica diu ſuſtenta, triſtitia, angores, timor caet. Vaſa denique ipſa ſpaſtice claudunt, praeter iam commemorata alimenta acria et aromatica, acrimoniae illae, quae, ſi retrograediuntur, maiori impetu agere ſolent, e. g. arthritica, rheumatica; affectus animi ferociores ac ſubitanei, quales ſunt ira, terror; medicamenta nimiopere ſtimulantia, adſtringentia, cortex peruuianus in febribus intermittentibus importune datus. Plurimae harum cauſſarum non vna tamen ac modo deſcripta ratione vim ſuam tantum exſerunt, ſed pluribus quaeque modis illos effectus producit. Qui ipſi etiam varii ſunt pro variis hominibus, in quos incidunt cauſſae. Cholericis enim ac temperamento melancholico praeditis, quorum ſanguis cruoris ditior eſt, infarctus iſtos ſanguineos, vulgo atrabilarios dictos afferunt, cum contra in phlegmaticis ſero potius abundantibus pituitoſis obſtructionibus locus relinquitur. Idem fere valet de diuerſis anni temporibus, ſub quibus committuntur. Nam circa aeſtatem vel autumnum perinde prius atrabilarios gignunt, ſub hyemem vero pituitoſos. Haec ſeri

cruo-

risue craſſamenta primum vaſorum minorum canalibus adhaerent, ita tamen, vt nondum eos prorſus imperuios faciant, ſed aliquam modo difficultatem ſanguini tranſeunti obiiciant; mox autem materia iſta ſe magis magisque ſemper accumulante et media canalium pars, hactenus adhuc libera ab ea occupatur totumque oſtium obſeratur. Quapropter arteriae hocce impedimentum aegre ferentes idque remouere nitentes ſeſe viuidius contrahunt, atque maiorem ſanguinis copiam ſemper alliciunt. Hinc pars affecta intumeſcit molemque ſuam valdopere extendit. Vbi vero iſthaec obturatio pluribus ſenſim vaſis contigit, omnis fere ſanguinis circulus in eiusmodi parte interceptus eſt, nec niſi in truncis maioribus adhuc locum habet. Vaſis omnibus igitur ad diſruptionem vsque fere extenſis celluloſa iis interiecta valde condenſatur, ad minimum ſuum volumen redigitur et indureſcit. Simile quid materiis vaſa infarcientibus tenuiori ſua parte abſorpta vſu venit, ita, vt lapideam propemodum conſiſtentiam attingant; vnde nunc tota affecta pars eam duritiem induit, quam ſcirrhum vocare ſolemus. Attamen et alio adhuc modo viſcerum ſcirrhus poſt inflammationes eorum frequenter naſcitur. Nam cum tonus eorum methodo nimis antiphlogiſtica aliaue ratione valde eſt diminutus, reſorbentia vaſa ſanguinem inter inflammationis feruorem in celluloſam effuſum ibique ſtagnantem, quoad eius ſaltem craſ-

ſiorem

ſiorem partem recipere non valent, quae ſi indureſcat, minora vaſcula comprimens obſtructionem in iis modo deſcripta ratione gignit, ipſa horum debilitate tanquam noua emphraxeos cauſſa inſuper accedente; ſcirrhus autem, ſicuti antea innui, hanc denique excipit.

De cauſſis ac generatione calculorum corporis humani in vniuerſum nil certi dixerim, cum multum ratione indolis ſuae pro varia ſede, qua producantur, inter ſe diſcrepent. Calculi enim vrinarii concrementa terrea ſiſtunt, cholelithi vero reſinam fere animalem referunt. Idcirco melius eſſe videtur, hanc diſquiſitionem differre, dum cauſſas eorum ſpeciatim pertractemus. Interim vero indubitatum eſt, calculi cuiusuis procreationi alimentorum ſiccorum particulis terreis plenorum vſum, vitam deſidem aliaque quae ſuccos valeant incraſſare, plerumque praecedere.

Tumores, quos vocant cyſticos, vario modo oriri ſolent. Vel enim in glandula quadam ſubcutanea, inter ſimplicium numerum referenda, acrimonia venerea, arthritica aliaue huc delata ac ſtimulo, quem exſerit ſuo ductus excretorii vaſorumque reſorbentium oſtia conſtringente, arterias autem ſecernentes ad tanto maiorem humorum vim effundendam incitante; aut ipſa materia ſecerni hic ſolita iuſto ſpiſſiori pinguioriue, ideoque portam, qua alias egreditur, ſibi obſerante permagna laticum copia accumulatur,

quae

quae ſuo volumine folliculi membranam mirum quantum extendit, et mora, quae ei contingit, varie degenerat: vel ſimile fere fit in ea praeprimis cellulosa, quae eſt inſtructa areolis latioribus, violentia quadam externa adeo contuſa et elatere ſuo orba, vt ſuccos eo effuſos neque protrudere, nec rurſum abſorbere valeat. Idem accidere poteſt, ſi cellulae aliquae earumque venae reuehentes preſſura vel acrimonia quacunque ſint conſtrictae indeque contentis fluidis copioſius allectis exitum denegent. Si porro telae celluloſae in qualibet parte nutritio aliquo modo augeſcat, ita, vt ipſa craſſior reddita alias vicinas cellulas comprimat, atque humores intus ſecluſos ſtagnare faciat. Ac denique ſi illa materia, quae fere in cellulas exhalatur, ob nimiam eius ſpiſſitudinem et glutinoſitatem a vaſis inhalantibus recipi nequeat, aut ſi errore nutrimenti ſuccus vere oſſeus huc deportetur et demittatur; in omnibus enim his caſibus areolae primum iis, quae materiam depoſitam continent, proxime iacentes aut comprimuntur, aut conſtringuntur, aut conglutinantur; deinde vero et remotioribus idem vſu venit, quo tandem fit, vt quaedam membrana plurium interdum linearum craſſa enaſcatur, quam cyſtidem vocant. Humores intus incluſi pro diuerſa ſua indole nunc varios colores diuerſamque conſiſtentiam induentes diuerſis quoque denominationibus, meliceridis, atheromatis, ſteatomatis anſam praebuerunt; quod vltimum

C quidem

quidem noſtra praecipue refert, quia potiſſimum in abdominis viſceribus eſt viſum. Generatim vero in explicandis omnibus his concrementis praeter naturam natis, memorem te eſſe oportet plaſticae illius omnis ſucci animalis inprimis lymphatici naturae, quae in quolibet ſtagnante humore aliquem formativum niſum molitur.

Sarcomata ſunt merae ſolidorum excreſcentiae ex nimia celluloſae in aliqua parte nutritione ortae. Cauſſae eorum multum adhuc medicos latent, atque ſolummodo topicae eſſe videntur. An forſan telae celluloſae laxitas, quaqua demum ſit cauſſa prognata, an acrimonia quaedam animalis eo delegata ſtimulo ſuo humorum nutrientium abundantiam allexerit, pro certo aſſerere non facile auſim.

Hydatidum eadem pene ex clauſis celluloſae areolis ac vaſis reſorbentibus obſtructis vel inertibus eſt origo, quae erat tumorum cyſticorum. Errant enim, qui putant, hydatidem eſſe vaſis lymphatici partem inter valuulas binas vtrinque clauſas intermediam atque humore incarcerato extenſam. Demonſtrat contrarium, quod liberae ſaepe ac ſeparatae in cauo abdominis natant, nec vlla tamen vis vaſa iſta loco, quo valuulae ſunt conſtructae, diſrumpens cogitari poteſt, ac porro quod cicatrices nullae eiusmodi dilacerationem neceſſarie inſequentes in extremitatibus eorum conſpectui ſe offerunt. Huic theoriae etiam aduerſantur hydatides minores maioribus

ſaepe

ſaepe incluſae, earum magnitudo et multitudo, quae numerum vaſorum lymphaticorum in viſcere quodam obuiorum interdum fere excedat. Idem illi ſibi dictum credant, qui venas talem degenerationem ſubire poſſe exiſtimant. Quod vero ad cauſſas hydatidum attinet, eae vtique eiusdem fere indolis ſunt, quam illae tumorum cyſticorum; praeterea tamen aliquam ſanguinis ceterorumque humorum tenuitatem et ſeroſitatem, victusque rationem haſce praecedere conſuetam ponunt. Ne de illis hydatidibus dicam, quas ad ſingulares taenias pertinere nuperorum detexit induſtria.

Priusquam nunc autem cauſſas phyſconiae in ſingulis viſceribus oriundae aggrediar, monendum adhuc eſſe reor, has plurima ex parte non inter eas, quae corpori extrinſecus admotae noceant, referri debere, ſed eſſe modo ſeminia naturalia ad hunc morbum.

§. IV.

De cauſſis phyſconiae hepaticae.

Haudquaquam mirari ſubibit, omnium facillime ac primum hoc viſcus infarctionibus et ſcirrhis inde genitis eſſe expoſitum, ſi eius ſtructuram et munia animo contemplemur. Sequitur enim, vt ſanguis, ſi vitia ſupra recenſita ei aut vaſis quoque contingant, minime tam facile ſtagnare poſſit, dum

 fluit

fluit in ramis venam portarum conftituentibus, qui femper vsque ad coniunctionem fuam latiores capacioresque fiunt. Quando nunc autem ipfum huius venae truncum intrauit ac hinc continue in vafa minoris diametri propellitur, neceffe eft eum, cum vltimum horum finem atque initia ductuum bilariorum pertigerit, eiusmodi ftafes fubire. Cui adhuc tanquam concauffa accedit, vt tota haec bilis officina cellulofa valde ftipata confabrefacta fit, quae preffui vaforum ifto fanguine refertorum nimis refiftat, quin fatis extendi nec rurfus vi fua fefe contrahere et contentos humores protrudere poffint. Hinc forfan etiam euenit, vt hepar obftructum fero demum, nec nifi certum fcirrhofitatis gradum iamiam fit affecutum, tumeat. Morbi cauffae externae ac remotiores eaedem funt, quas antecedens §phus exhibet. Praefertim vero vifum eft, quod fomno et corporis quieti nimiopere indulgentes frequenter hoc malo conflictentur. Sed temperamenti cholerici homines et illi, qui alimentis bilis abundantiam generantibus, qualia funt cibi animales, inprimis pingues immodice fumti, quique fpirituofis liberalius vtuntur, prae caeteris quoque ab eo tenentur. Nec minus omnes fpaftici morbi, qui vafa hepatis fecretoria conftringendo fellis efformationem deturbant, idque in fanguine retinent, morbi noftri parentes euadunt. Quos inter icterus eminet, cum faepius flauo cutis colore euanefcente id vitium in hepate relin-

relinquitur. Eodem fere modo acrimoniae iecinori allatae agunt, quod quidem vtplurimum cum rheumatica vel ſcabioſa contingere ſolet. Comperimus tamen, et vlcus axillae in femina imprudenter ſanatum hepatis tumorem inſecutum fuiſſe *).

Calculis felleis perinde hoc viſcus non ſemel tumidum eſt inuentum. Hi variae ſunt formae atque naturae; nam modo cubos modo ſphaeras modo alias figuras referunt; nunc magis concrementa terrea eſſe videntur, nunc veras cryſtallos ſalinas oſtendunt, nunc quaſi glebularum reſinoſarum ſimiles reperiuntur. Plerique tamen flammae admoti ardent atque funduntur vt cera ſigillaris. Analyſi chemicae ſubiecti maiorem minoremue terrae calcareae portionem, lympham coagulabilem, ſales bilis etiam indigenos magnamque partem ſubſtantiae cuiusdam pinguis oleoſae exhibent, vt etiam toti fere ſpiritu vini diſſoluantur. Quae ſi quoque non neſciamus haud tamen dictu procliue erit, an dyſcraſia humorum terreſtris eiusque cauſſae proludentes, an potius nimia fluidorum tenuitas maſſularum harum lapidearum origini anſam praebeat; nil enim fere ſuper hanc rem experientia quamuis diligens medicos edocuit. Veruntamen aliqua veriſimilitudine con-

*) Teoph. Boneti Sepulchret. ſ. Anatom. pract. etc. Lugd. 1700. Lib. III. S. XVI. Obſ. III. p. 280.

concludi poteſt, cauſſas hepatis obſtructionum easque cholelithorum non multum a ſe inuicem abludere. Quae ſi ita ſe habent, hancce in bile lithogeniam ſequenti modo explicandam puto. Radices quaedam ductuum bilariorum felle iuſto ſpiſſiori ac tenaciori obſtructae omnem conferunt vim, quae iis natura indita eſt, hoc onere ſe liberandi expediendique. Quod dum ſucceſſit, moleculae protruſae at iamiam compactae patentiorum canalium parietibus iterum inhaerent, bilis praeteruectae ſemper plus paulatim in ſe recipiunt et coaceruant, denique autem lapideſcunt. Facilius adhuc id ipſum in cyſtide fellea, quia maſſulae huc ſemel deportatae prorſus fere quieſcunt, nec amplius agitantur, accidere poteſt. At ſaepe calculus in ipſa hepatis celluloſa, vel adeo plures quodam quaſi ſacculo incluſi reperiebantur. Tum rupto vno alteroue canaliculo haec concrementa illuc effuſa affluenteque bile adaucta ſunt. Probetne dicta quodammodo medicamentorum amarorum aliorumque reſoluentium optimus ſucceſſus in iis, qui manifeſto his calculis erant vexati?

§. V.

De iis, quae phyſconiam ſpleni inducunt.

Lienis fabrica atque functiones nos itidem faciunt certiores, quomodo fiat, vt hocce viſcus toties intumeſcat. Namque arteria, quae ei ſanguinem

nem adducit, duriſſima eſt, ita, vt etiam aortam ipſam denſitate antecedat; ac ſerpentinoſo ductu continue procedit, quem eius rami quoque retinent. Praeterea vero ramorum ad truncum tanta eſt ratio, quanta vix alibi vsquam conſpicitur. Quae omnia ſanguinis circulum valide retardando crebrarum obſtructionum cauſſae euaderent, quum inſuper venae molliſſimae ſtructurae et admodum amplae refluxum ſanguinis magnopere impediant, ni pluribus aliis modis huic malo prouiſum eſſet. Ventriculus enim ciborum plenus coſtas verſus ſplenem apprimit, vnde a diaphragmate ſub inſpirationis actu deſcendente rurſus repellitur, vt concuſſione alterna nimiam iſtam ſanguinis copiam emittere cogatur. Accedit, quod ſanguis coli vicini putridis vaporibus ei admixtis ipſe quendam putroris gradum ſubeat, ideoque ſemper fere ſolutus ac fluxus reſeruetur, vt ne tam facile vaſorum anguſtiis retineri poſſit. Hinc autem ſequitur, lienem non tam frequenter, nec niſi cauſſa ſatis graui ſuperueniente infarciri poſſe. Creberrima aeque eſſe ſolet corporis inertia neceſſariaeque exercitationis neglectus, cum reſpiratione imminuta magnum quoque auxilium in ſanguine expellendo demitur lieni. Inter alias tamen et materia febrilis huc depoſita haud raro eum tumere facit; ſoluuntur enim febres intermittentes tumore in hoc viſcere exorto, qui inter nos placenta febrilis (*Fieberkuchen*) vulgo audit. Verum faciIlime lien leui etiam ſolummodo

modo impedimento in ſanguinis circuitu nato tumeſcit, quoniam totus celluloſa perquam laxa conflatus eſt.

De ſcirrho eiusdem non erit, quod quidquam adiiciam, cum ſimiles fere cauſſas agnoſcat, ac tum demum oriatur, ſi obſtructio tantum inualuerit, vt neque auxiliis naturalibus nec medicaminibus aptis reſolui queat.

§. VI.

Quibus modis renes tumeſcant.

De calculis renalibus primum mihi verba facienda ſunt, quum obſeruationibus conſtat, eiusmodi concrementa perſaepe renem alterutrum vel adeo ambos ita inflaſſe, vt tumor ceteris viſceribus prae ſe actis vel extus conſpiceretur. Neque vero certe facilis eſt diſquiſitio, qua via atque ratione lithogenia hic perficiatur, quaeque cauſſae iſtam inferant. Scrutinio chemico hi calculi explorati ſe plurima ex parte veram eſſe terram calcaream oſtenderunt. Hinc aliqui colligi poſſe exiſtimarunt, terrearum particularum in corporis fluidis, praeſertim lotio affluentiam eorum fontem haberi debere. Si autem apud nos perpendimus, quod renes terrae ex corpore purgatoria ſint, nec vnquam ſaniſſimi hominis vrina in vaſe per aliquod tempus morata aequalium concrementorum veſtigia non exſerat, profecto

fecto ſola fluida huius vitii reos non faciemus, ſed etiam ſolida non omni culpa vacua iudicabimus. His igitur prodire videtur, renum quandam flacciditatem atque marcorem vel haereditate tralatum vel homine iamiam in lucem edito ex aliis cauſſis progenitum ad lithogeniam requiri, et inde vrinae ſecretae moram iniici, qua terreae particulae ſe tanto facilius attrahere inque lapideas maſſulas coire valerent. Aliqui credunt, ſemper quandam renum laeſionem praecedere debere, priusquam calculi oriri poſſent, tunc enim ſanguinis thrombum puriſue particulam in renibus relicta terrae in lotio obuiae quaſi pro nucleo eſſe, ad quem ſe praecipitet colligatque. Verum hanc opinionem vir quondam doctiſſimus, Rvd. Avg. Vogel *) argumentis haud certe ineptis confutauit, e quibus ſatis ſit meminiſſe, quod experientia ſuadente homines nullam eiusmodi laeſionem paſſi ſubinde tamen calculis vexentur. Caeterum cauſſarum, quae lithogeniam fouere dicuntur, longa eſt ſeries. Praeprimis huc ſpectant cibi duri, viſcidi, terrae abundantiam vehentes, carnes animalium vetulorum, caſeus, vegetabilia viliora, legumina aliaque; potus aquarum ſabuloſarum et tophacea-

*) In Academ. Praelect. de cogn. et cur. praec. corp. hum. affect. Goetting. 1772. p. 357.

phacearum, nec minus calidorum infuſorum, theae abuſus, quocirca Batauis commune malum; liquores ſpirituoſi immodice hauſti; vina acida, auſtera alii *) incuſant, quae alii **) contra crimine abſoluunt ac potius dulcibus, coctis culpam inferunt omnem. Porro quies corporis nimia, vrinae crebra retentio, frequens in dorſo decubitus, violentiae externae lumbis illatae, renum inflammatio, vlcera, mictus cruentus, materiae arthriticae, podagricae adeoque ſecundum Rvd. Avg. Vogel ***) tartareae dentium ad renes deuolutio multaque alia, quae et nimiam terrae copiam corpori afferunt, et renes ipſos debilitant, vel etiam alieni quid, cui particulae terreae inhaereant, in renum cauis procreant.

Inter alios horum viſcerum tumores ſarcomata ſaepiſſime ſe obſeruanda praebuerunt. Nec mirum eſt, id accidere, cum tanta adipis mole incluſa haereant, quae ea aſſidue fouendo et emolliendo celluloſam telam, qua ſunt contexta, valdopere laxat iuſtoque maiorem humorum copiam allicit, quo vtique fit, vt nutritione in quadam eorum parte modum excedente in tantas excreſcant deformitates.

§. VII.

*) Gavbivs Inſtit. pathol. medic. Edit. Ackermanni. 1787. p. 319.

**) Cl. Goenner *Einleitung in die Pathologie. Berlin u. Stralſ.* 1778. p. 401.

***) l. c.

§. VII.

Recenſio cauſſarum, quae vterum tumidum reddunt.

Iam ſupra retuli, vterum prae aliis corporis humani ſedibus perinde ac viſcera chylopoetica infarctionibus facile obnoxium eſſe, quum ſanguis per laxas et amplas arterias copioſius et celerius aduectus eadem facilitate a venis denſiſſimis multoque anguſtioribus, quam arteriae, reduci nequeat. Prorſus autem iſte circuitus ſufflaminatur atque emphraxes vaſorum oboriuntur, ſi menſtruo fluxu imminente ſanguis aut malo regimine nimis incraſſatus, aut debito vberius huc congeſtus exitu in vteri cauum ſe intercludat. Contingit idem, ſi vaſa aut quocunque modo debilitata ſanguini extrudendo non ſunt paria, aut ſpaſmis occluſa eum transmittere non valent. Praeter iam ſaepius enumerata ſpeciatim huc pertinent, valida ventris compreſſio ope thoracum, triſtium animi affectionum nimia ſectatio, quas inter amoris fruſtrati ſtudium primum obtinet locum, intemperatum voluptatum libidinumque aucupium, miſerrima atque nefanda praeprimis manuſtupratio, damnoſa mulierum conſuetudo inferiores corporis partes batillorum auxilio fouendi caet. Catameniorum fluentium repentina ſuppreſſio nudis pedibus pauimento incedentium, aquam frigidam praeter morem tractantium, corpus poſt ſtolidas ſaltationes exaeſtuatum ſubito refrigerantium, terrore, ira, vi-

 tio

tio circa diaetam commiſſo alioue modo illata, nec minus lochia poſt partum quauis ratione retenta aut oppreſſa haud imparem effectum producunt. Haemorrhagia vteri adſtringentium remediorum vſu incaute ſedata non obliuione eſt praetereunda. Infarctibus hoc modo enatis vel intra vaſa adhuc contentis vel poſtea in vteri cauernam effuſis vterus turgeſcit. Si vero per longius temporis ſpatium remanent, ſcirrhum tandem progignunt, qui tamen etiam poſt alios morbos et vitia, metritidem, partum difficilem, abortum et album fluorem ſuppreſſum ingruit. Plerumque tamen ſcirrho ingraueſcente vterus potius detumet atque conſidit, quam latius extenditur. Tota illa cauſſarum cohors ſub varia at aegre eruenda modificatione diuerſarum molarum, quas vocant, notharum geſtatione mulieres corripiunt. Hinc vteri hydatides, polypi, ſteatomata, ſarcomata mole ſua ventrem eleuantia proficiſci ſolita. Et molae verae ſub falſa grauiditatis ſpe medicis ſaepe illudunt, dum vterum in magnos tumores extollunt. De quarum ortu videſis HANKOPH Diſſ. de mola.

§. VIII.

Quae dent originem ouarii inturgeſcentiae.

De his ſane certi quidquam non dixerim, quoniam tota conceptionis, quae in hoc viſcere peragitur, doctrina multis adhuc dubiis laborat. Etenim,

expe-

experientia docente, plerumque feminis iam partum enixis, rarius autem puellis contingit, vt vel ſarcomate, vel ſteatomate, vel ſcirrho vnum alterumue ouarium turgeat. Interim ſatis eſt mirum, has partes craſſiſſima certe ac ferme cartilaginea membrana circumdatas in tantos abripi poſſe tumores. An forte ſitus earum in infimo ventre pendulus craſſioribus humoribus facilius admiſſis, maiori autem negotio ſurſum repulſis; an bulloſa earum ſtructura aliquid ad morbos eiusmodi proferendos contribuat? An vterum ferentibus primum horum vitiorum fundamentum iaciatur, cum durante grauiditatis ſtadio valde comprimantur ouaria? Fortaſſis interdum lactis transiocationes huiusmodi quidquam excitant. Interdum abdomine ictu aut lapſu contuſo tumores ouarii apparuerunt. Ac denique poſt inflammationes vteri et inprimis peritonei hucusque propagatas, neque radicitus ſolutas oriri poſſunt. Caeterum, et illarum cauſſarum plurimas, quas vterum praeternaturali tumore afficere §pho antecedente diximus, idem vitium et ouariis inferre poſſe, veriſimile eſt.

§. IX.

Inquiritur in cauſſas phyſconiae meſentericae.

Quae antea de hydatidibus generatim annotauimus, hic repetenda veniunt. Saepe enim totum meſenterium talibus veſiculis ſcatet, quae inter eius duplicatas

catas lamellas resident. Neque explicatu admodum est difficile, quomodo ei prae aliis partibus hocce contingat, quum inhalatione in cellulis quibusdam quacunque ex caussa interpellata eiusmodi collectiones seri spissioris tanto citius fieri possint, quanto minus huic parti in cauo abdominis libere suspensae vlla resistentia ab aliis adiacentibus praebeatur. Attamen inter multas alias hydatidum caussas haud etiam infrequens est, atque in mesenterio similiter locum habet, taeniae quaedam species istis vesiculis inhabitans, indeque etiam hydatigena vocata, cuius autem origo medicos adhuc fugit.

Struma a scirrho et scrofulis discrepat, ambobus autem valde finitima est. A scirrho ratione gradus duritiei, cum modo vasorum emphraxin ponit, et eo, quod glandulas solas tenet, at scirrhus contra et glandulas et alia. A scrofulis vero quoad caussas differt; namque hae alicui, ni dicas lymphae peculiari acrimoniae, certe tamen vasorum lymphaticorum prorsus singulari constitutioni originem debent, cum struma caussas cum aliis obstructionibus commuues habet. Mesenterium ab ea tam crebro occupari, non est, quod miremur, quoniam glandulas permultas ostendit, ad conglobatarum genus pertinentes. Quae si lactea vasa chylum crassiorem terrearum viscidarumque particularum pleniorem vehunt, dum ipsas perreptat, ab eo perfacile oppilantur atque tumere incipiunt. Idem post potum frequen-

frequentem aquarum calcarearum atque niualium accidere dicitur. Saepiſſime etiam hoc malum exoritur nimia ſanguinis copia ex haemorrhoidibus ſeu menſium fluxu ſuppreſſis ſeſe huc conuertente et chylum a libero tranſitu arcente, quod vulgo plethoram abdominis nominant.

Harum glandularum ſcirrhus easdem cauſſas agnoſcit; ſed eas maiori gradu diutiusque continuatas admitti neceſſe eſt. Praeterea tamen et meſenterii inflammationes eum relinquunt.

Eadem ratione, cuius antea, de renum ſarcomate dicens, mentionem faciebam, id vitii in meſenterio enaſcitur. Adeps enim hic etiam copioſe ſecerni ſolitus telam cellularem magnopere laxat, indeque nutritioni eius iuſto largiori et excreſcentiis ſarcomaticis facile dat locum.

De ſteatomate, quo meſenterium interdum vexatur, nil fere amplius addendum habeo, nam veriſimillimam eius generationem aeque in IIItia §pho iamiam expoſui. Nec vllam profecto cauſſam inuenerim, quare prae aliis hanc partem capeſſat.

§. X.

Quibus e cauſſis phyſconia inteſtinorum oriatur.

Subinde inteſtinorum tubus concretionum glomeribus ſimilium plenus inuentus eſt, quae tantum eum extendebant, vt mirum in modum tume-

fieret.

fieret. Sunt vero haec glomera variae naturae; nunc enim, praeprimis ſi pleniora obſident inteſtina, vera referunt ſcybala ouillo ſeu caprillo ſtercori ſimilia, nunc ſanguinis atrabilarii grumi eſſe videntur, nunc conuolutiones mucaſas aut pituitoſas, nunc concrementa lapidea exſerunt. Faeces iſtae induratae oriuntur ab excretione aluina imprudenter retenta, vel etiam impedita varicibus haemorrhoidalibus internae inteſtini recti faciei inſidentibus, aut nimia inteſtinorum inertia, eorumue ſiccitate aut ſpaſmis; a cibis duris et ſiccis, a potibus iuſto minori copia aſſumtis aliisque. Grumi ſanguinei vel atrabilarii ortum ducunt ab infarctibus iſtiusmodi vaſa ſyſtematis venae portarum implentibus, quacunque cauſſarum ſupra enumeratarum productis, inque canalem inteſtinorum depoſitis. Simili modo glomera pituitoſa aut mucoſa naſcuntur, ſi vaſa antea pituita referta huc ſenſim eam depluere faciunt, vel ſi tanta muci inteſtina intrinſecus obducentis copia in iis exaggeratur, vt prorſus iſta ſcateant. Lithiaſi inteſtinorum generandae inſeruiunt frequens potus aquarum durarum, limoſarum, paludoſarum multumque terrae vehentium, imprudens cretae aliusue id genus terrae deglutitio contra ventriculi acorem, faex bilioſa calculoſis concrementis praegnans atque hic diu ob impeditam alui exonerationem retenta et plura.

Ex

Ex inteftinorum parietibus haud raro etiam farcomata fefe extollunt, quae agunt originem, dum haecce vifcera et perpetuo abdominis calore fota, et flatibus femper extenfa nimia cellularis telae laxitate donantur, ideoque facillime nutrimentum in qualibet eorum plaga abnorme admittunt. Nec tamen minus interdum a ftimulis cuidam loco infixis, quales funt materia arthritica, rheumatica ad inteftina lubenter retrogredientes, fubnafci videntur.

§. XI.

Quibus e cauffis omenta inflari foleant.

Vt in aliis vifceribus multifaria vitia, quibus turgefcerent, exftare vidimus, ita et in omentis eadem reperiuntur. Nam cum farcomata tum fteatomata, cum hydatides tum fcirrhos glandulas, quarum alias exiguus modo eft numerus, mentientes in extifpiciis perfaepe offerunt. Haud quoque difficile eft perfpectu, qui fiat, vt in tam laxa, tenui atque fubtili fabrica eiusmodi mala nonnunquam accidant. Inter frequentiffimas eorum cauffas referri merentur, inflammatio harum ac vicinarum partium et violentiae externae, quibus facile omenta, praeprimis colicum, pertinguntur concutiunturque, cum in extremo abdominis cauo iacentia reliquis vifceribus velamenta quafi atque praefidia funt data.

§. XII.

Quae vero praebent anſam phyſconiae viſcerali?

Cum in vnius pluriumue viſcerum praeternaturali magnitudine absque vllo eorum vitio ſenſibili ſolummodo conſiſtat, nos ſolis quoque coniecturis inſiſtere oportebit. An igitur exceſſui cuidam nutritionis vel ab humoribus iuſto maiori copia advectis et difficulter vaſa ob eorum anguſtiam vel inertiam permeantibus, vel a detritione propter motus defectum in his partibus imminuta enato originem debeant? An nutrimentum in aliis partibus impeditum ad huius ſtatus productionem conferat? An denique haud explicabili labe haereditaria is prouocetur? Certa non locum habet affirmatio.

§. XIII.

Quibus e fontibus phyſconia externa emanet.

Lupia eſt tumor ſubcutaneus tela celluloſa in fungi formam degenerata productus. Quidam, diſpeſcunt eam in veram et ſpuriam; veram modo deſcriptam nominant, ſpuriam autem quemcunque tumorem cyſticum, ſcirrhoſum, ſarcomaticum, pinguedinoſum. Vtraque tamen circa articulos potiſſimum

tiſſimum genu et cubiti inueniri dicitur, interdum vero et in aliis locis. Lupiae ſic dictae ſpuriae cauſſas ex ſuperioribus iamiam perdidicimus. Iis, quae veram excitant, annumerantur, contuſio, alliſio, lapſus ex alto, valida compreſſio, accubitus diutinus aliaque, quae vaſcula et laminas cellulares cuiusdam corporis plagae relaxare valent. Hanc laxitatem in culpa eſſe, probare conantur roborantium adhibitorum felici ſucceſſu, contrario autem emollientium.

Tumor externus ſcirrhodeus poſt inflammationem chronica ſpecie indutam, vel aliam illata quadam potentia mechanica obortam atque nunc oleoſis, pinguibus, humidis, calidis, nunc frigidis, ſiccis, ſpirituoſis, adſtringentibus praeter rationem et importune tractatam naſcitur.

De cauſſis hydatidum inter abdominales muſculos et peritonaeum plerumque et tanto numero ſaepe obuiarum, vt totum ventrem admodum eleuent, nihil iam commemoratis adiicere poſſum.

Collectionem adipis circa abdomen externum inter morbos referre dubitarem, niſi interdum tumor certis et anguſtioribus limitibus circumſcriptus

ſe

ſe conſpiciendum praeberet, qui tunc lipoma vocatur. A ſteatomate differt, quod non humorem ſeboſum, ſed pinguedinem ſanam et nullo marſupio incluſam continet. Proximae eius cauſſae ſunt itidem celluloſae aliqua topica laxitas, aut lentum olei abſorbendi impedimentum, remotiores vero contuſio, compreſſio aliaque ſimilia.

MENDA IN FRONTE LIBELLI.

Boruſſo lege *Boruſſus*
